

<https://www.thelatinlibrary.com/ter.adel.html>

MI. (...)

ita uitast hominum, quasi quom ludas tesseris: 739

si illud quod maxume opus est iactu non cadit, 740

illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

DE. Corrector! nempe tua arte uiginti minae

pro psaltria periere: quae quantum potest

aliquo abiciundast, si non pretio, gratiis.

eque est neque illam sane studeo uendere. 745

DE. Quid igitur facies? **MI.** Domi erit. **DE.** Pro diuom fidem,

meretrix et mater familias una in domo?

MI. Quor non? **DE.** Sanum te credis esse? **MI.** Equidem arbitror.

DE. Ita me di ament, ut tuam ego uideo ineptiam,

facturum credo, ut habeas quicum cantites. 750

MI. Quor non? **DE.** Et noua nupta eadem haec discet. **MI.** Scilicet.

DE. Tu inter eas restim ductans saltabis. **MI.** Probe.

DE. Probe? **MI.** Et tu nobiscum una, si opus sit. **DE.** Ei mihi!

non te haec pudent? **MI.** Iam uero omitte, Demea,

tuam istanc iracundiam atque ita uti decet 755

hilarum ac lubentem fac te gnati in nuptiis.

ego hos conuenio: post huc redeo.---**DE.** O Iuppiter,

hancin uitam! hoscin mores! hanc dementiam!

uxor sine dote ueniet, intus psaltrias,

domus sumptuosa, adulescens luxu perditus,

senex delirans. ipsa si cupiat Salus,

seruare prorsus non potest hanc familiam. 762